Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2147
Quelle:
Copyright:

tristauero aliquem, quemadmodum rogem &c. Nota est vasta illa Collectio *Hieronymo* perperam adscripta et jam Sec. XV. pluries barbaro *Liber Vitaspatrum* titulo typis edita, demum saniores *Heriberti Rosweydi* curas experta *Antverpiae* 1615. f. ex qua Flosculi nostri decerpti sunt. Ultimus tamen inscriptus: *Quod non est curandum de eo, quod actum est, sed quid sit agendum.* de quodam in puteum lapso ex epistola *Augustini* ad *Hieronymum* desumtus dicitur.

DLXIV.

587. Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. nunc 229. 4. maximam partem nitide exaratus quondam ad saepe memoratum Sacerdotem illum *Bohemum Wenceslaum Rossam Presorovinum* alias *Chrudimensem* pertinuit. Inest ei I. *Tractatus de preparacione cordis*, qui incipit: *Preparate corda uestra domino, verba sunt Samuelis* &c. et ad calcem *Liber de doctrina cordis* adpellatur. Recensus est *Cod.* DCXXXIX. et F. *Gerardo Leodiensi* O. P. jure meritoque tributus.

II. *fol.* 124. p. 2. *Incipit Libellus qui intitulatur testamentum electorum.* Ingressus: *Disposui testamentum electis meis. Angelus testamenti id est christus quem pater heredem uniuersorum constituit in cruce decedens testamentum eterne hereditatis, quod longe ante disposuerat, morte propria confirmauit.* &c. Juxta VIII. quas vocant, *Beatitudines* ordinata est pia Commentatio et finit: *Superborum sublimium colla propria uirtute calcans. Valer. Andreas* et *Foppenius* in *Biblioth. Belg.* complures excitant *Codices*, in quibus hoc Opusculum Librum *de Doctrina Cordis* praefixo *Gerardi* nomine pone sequitur. Quidni et nos ei tribuamus, non obstante *Trithemii* silentio, qui non omnia *Gerardi* se vidisse fatetur.

III. *fol.* 156. p. 2. *Incipit libellus de tribulacione.* Ita: *Da nobis domine auxilium de tribulacione. Tibi anime tribulate et temptate proponitur uerbum hoc, ut intellecto de quo tribulaciones seruiunt sapientibus, et que seruicia ex eis extrahere possunt, nisi per te steterit, non solum pacienter sed eciam hylariter gallice* abone chire *eas sustineas* &c. Licet nec *Trithemius*, nec Bibliothecarii *supra cit.* nec *Quetifus* hujus Opusculi meminerint, tamen illud confidenter *Gerardo* tribuo, cum, quod in *Codice* praecedentibus cohaereat, tum maxime ratione Stili, et interjectionis φρασεων *Gallicarum*, quas et in prioribus Tractatibus offendas. Agit vero hic Autor de XII. *Utilitatibus* seu *Servitiis*, quae praestant Hominibus Adversa, et concludit: *ut tandem percipias coronam uite quam repromisit deus diligentibus se.*

IV. *fol.* 182. p. 2. Tractatus catholicus de Substantia Panis et Vini non remanentibus in Sacramento Altaris post consecrationem. Initium: *Visum est non esse*